



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 54. Antonii molimina suo succesoo destituta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

lis, quod rei conficiendæ spe excideret, hinc Romam redeundi veniam postulabat. Sæcul. XVI.
A.C. 1580.

§. LIV.

Antonii molimina suo successu destituta.

Cum ergo Philippus hac ratione a Pontificis sollicitationibus liber esset, promulgato edicto omnium delictorum oblivionem, veniamque exceptis tantum Antonio, ac rebellionis auctoribus obtulit omnibus illis, qui eum tanquam Regem veneraturi essent. Hæc clementia haud parum Ulyssiponensium animos demulcebat, præcipue cum Antonii factio aliunde jamjam plurimum debilitata intra brevi temporis spatium ferme ad nihilum redigeretur: quapropter idem Antonius, cum sibi jam proximum imminere periculum cerneret, illudque, tardius licet, eluctari quæret, Cercamo, qui ei a secretis erat, negotium dabat, ut nuntiaret Philippo, quod ei regnum cedere paratus esset, dummodo is, ut honestius id fieret, regni Ordinibus significare permetteretur, quod ipse Philippi potentiaæ impar ipsis libertatem concederet, ut rebus suis consulant: verum Philippus, qui jam successu inflatus condiciones nullas acceptare voluit, Cercamum ad Albanum

re-

Thuan. l. 6.

Sæcul. XVI. remittit, qui haud benignius hunc De-
 A.C. 1580. putatum habebat.

§. LV.

*Antonius cæsus, ac Ulyssiponensis urbs
 a Philippo occupata.*

*Thuan. &
 Spond. l. c.*

Antonius ad prælii necessitatem adactus die vigesima quinta Augusti prope Alcantaram urbem certamen inibat, sinistro tamen suorum armorum successu, quippe ejus milites undique cincti rupto ordine salutem in pedibus quærebant, ubi ipse etiam Antonius relicta acie fugientibus immixtus ad Ulyssiponensem urbem confugit: verum ab insequentibus in itinere ictu hastæ in faciem impactæ fauciabatur, unde parum abfuit, quin ab Italis quibusdam honorariæ militiæ juvenibus caperetur: sub idem quoque tempus sanctæ Crucis Marchio navalem Antonii exercitum ad Tagi fluvii fauces profligabat: unde miser hic Rex Ulyssiponem cum infauftis exercitus sui reliquiis per unam portam ingressus, ex altera mox egredi cogebatur, recta Santaremum contendens, ubi tamen non aliter excipiebatur, nisi ea lege, ut quantocius alio sese conferret: mox autem illata hac clade Ferdinandus Albæ Ducis Filius Ulyssiponem versus accurrit, ut Antonii copiis ab ingressu prohibitis urbem a di-

re.